





10

VINORVM ALBORVM  
METALLICI CONTAGII SVSPECTORVM  
DOCIMASIAE  
CVRAE REPETITAE ET NOVAE

1787. 6

DISSESSATIO IN AVGVRALIS MEDICA

QVAM  
GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS  
CONSENSV

P R A E S I D E

IOHANNE GOTTFRIED  
LEONHARDI

AA. LL. M. PHILOS. ET MED. DOCT. PATHOL. ET CHIRVR.  
P. P. O. SOC. OECON. LIPS. SODAL.

PRO  
GRADV DOCTORVS

DEFENDENT  
CHRISTOPHORVS HENRICVS DANZ  
SCHWARZBURGO - THVRINGVS  
MEDICINAE CANDIDATVS.

VITEBERGAE AD XV. M. MARTII A. C<sup>17</sup>CCCLXXXVII.

EXCVDIT ADAMVS CHRISTIANVS CHARISIVS.



SERENISSIMO ET CELSISSIMO  
PRINCIPI AC DOMINO  
DOMINO  
LUDOVICO GÜNTHERO  
PRINCIPI SCHWARZBURGI E QVATVOR COMITI-  
BUS IMPERII COMITI HOHNSTEINII DYNASTAE  
ARNSTADII SONDERSHVSAE LEVTENERGAE LOHKAE  
ATQVE CLETTENBERGAE ETC. ETC.

PATRI PATRIAEC OPTIMO  
PRINCIPI AC DOMINO  
SVO LONGE CLEMENTISSIMO

SEVERINISSIMO ET CLEMENTISSIMO  
PRINCIPI Vnde DOMINO  
DOMINO  
LUDOVICO EUGENIO  
PROGENIE COMITI  
DUKE OF BRUNSWICK AND LÜNEBURG  
ET ALIA  
TATIANA OCTIMA  
ELENA  
DUCES CLERMONTENSIS

SERENISSIMO ET CELSISSIMO  
PRINCIPI AC DOMINO  
DOMINO  
**FRIDERICO CAROLO**  
PRINCIPI IVVENTVTIS SCHWARZBURGICAE  
E QVATVOR COMITIBVS IMPERII COMITI  
HOHNSTEINII ETC. ETC.

SPEI NASCENTI PATRIAE  
**PRINCIPIA AC DOMINO**  
SVO INDVLGENTISSIMO

SE  
SER  
LERN  
TANTORVM PRINCIPVM  
EDAVATONI COMITIA MUNICIPALIA  
MONSIEUR DE LA  
CONSECRAT

HASCE STVDIORVM SVORVM  
PRIMITIAS  
DEVOTISSIMO MENTIS CVLTV

CLIENS OBSEQVIOSISSIMVS  
CHRISTOPHORVS HENRICVS DANZ



§, I.

**Q**uo nobiliorum virium frequentiorisque vsus tum do-  
mestici, tum medicati, tum adeo inter religionis  
Christianae cultores sacri est praestantissimum istud potulent  
genus, quod ex musto, siue succo vnarum expreſſo per fer-  
mentationem eo vsque, donec ex latice limpideſcente nullae  
amplius aëris fixi bullulae prodeant, et liquor acidiusculi fa-  
poris odorisque, ex quo destillando ſpiritus inflamabilis euo-  
cari potest, coortus fit, protractam, ſub vini nomine paratur:  
eo maiori sapientia et vigilantia principes magistratusque, ci-  
uium ſuorum valetudinis tuendae et conſeruandae laudabiliter  
ſtudioſi medicorumque inprimis admonitionibus excitati, con-  
ſiliisque adiuti curare conſueuerunt legibusque cauere, ut quod  
publice venale proſtat, ab omni rerum noxiarum concretione

A

purum



purum atque liberum habeatur. Quamvis vero eiusmodi rerum, plus minusue noxiarum, quibus vinorum colores, odores, sapores indolesque vel arte fraudulenta fucantur, vel casu improviso vitiantur, mirifica reperiatur varietas, in quarum plerisque detegendis, palatum ad vini patriam, aetatem qualitatesque quasuis indagandas vsu repetito et curiosa gustatione eruditum saepe, dum sibi soli sapere debet, omni periculo chemico promptius atque felicius versatur: nocentior tamen atque valetudini corporis infensor vinorum, in primis acidiusculorum et alborum deprauatio occurrit alia nulla, quam quae ex metallorum quorundam moleculis admisisit nascitur et in qua eruenda solius palati iudicio eo minus fidendum est, quum neque gustus alieni testimonium in re litigiosa quicquam comprobare possit, neque adeo examina per liquores, quos ab vsu probatorios dicunt, adfusos, nisi maxima circumspetione instituta, omnem semper fallaciam eludere queant. Quae quum ita sint, singulare studio perlegimus Virorum et superiorum temporum et nostrae aetatis doctissimorum commentationes,<sup>a)</sup> quibus vinorum, metallici contagii suspectorum

a) EFRHARDI GOCKELII (E. N. C. Dec. 3. Ann. 4. 1696. Obs. 30. p. 77. Ioh. Iac. FRAN. VICARIUS (ibid. Obs. 100. p. 208) Ioh. ZELLERI (doinam signa, caussae et nox. vini lithargyr. mangoniat. variis exp. illustr. Tüb. 1707.) H. D. GAUBII (*Verhandelingen uitgegeven door de Hollandsche Maatschappij der Wetenschappen te Haarlem. Eerste Deel te Haarlem 1755.* p. 117 ff.) MALOUIN (Chimie Medicinale T. I. a Par. 1750. 12mo. p. 349 ff.) SAGE (chem. Unterluch. mit Anmerk. von I. BECKMANN Götting. 1775. 8. S. 128 ff.) GEORGII BACKERI (*Medical-Transact. published by the College of Physicians in London Vol. I. Lond. 1768.* 8. p. 175 ff. p. 460. ff.) VALMON-TII DE BOMARE, CADET ET MITOvardi (ROZIER *observ. sur la phys. To. III. P. I. p. 114 ff.*) TORBERN BERGMANNI (de arfenic. Vpf. 1777. 4. p. 22.) CHRISTIANI WOLLINI (de vinis litharg. mangoniat. Lund. 1778. von der Verfälschung der Weine mit Bleiglättre, s. d. Lat. Altenb. 1778. 8.) DELLI Etwas zur Revis. der Weinprobe auf

rum, docimasiam chemicam illustrarunt ipsique in vinis, de industria metallo vario inquinatis, experimenta, tum ab aliis iam-tum facta repetimus tum a nobis, quantum nouimus primum capta instituimus; quumque in vltimi generis periculis occurrere viderentur, quae vel instituisse vel commemorasse non prorsus nos poeniteret, non alienum esse credidimus, si quidem in hac scribendi opportunitate aliorum nostrisque ipsorum obseruationibus vsi examinis chemici sive docimasiae vinorum alborum, metallici contagii prae reliquis suspectorum, curas repetitas et nouas litteris consignaremus et in publicum edemus. Erunt autem huius nostrae scriptio[n]is tria, ad quae omnia referantur, summa velut capita. Sicubi enim, qua sui parte vina alba metallici quicquam concipere possint docuerimus, primo quidem definiemus, quorum metallicorum corporum particulis inquinari ista vulgo quidem soleant; declarabimus deinde, quibus adiumentis detegi vini contubernii metallici labes queat; vltimo vero, qua via et ratione erui definiti cuiusdam metalli praesentia in vino possit debeatque, conficiemus.

### §. II.

Est, sicuti in vino quolibet, ita etiam in albo, praeter aquam spiritumque inflammabilem et partes, quas extractius vocant, sal, vel solo sapore teste acidum illudque omnino vegetabile, cui prae reliquis vini elementis, quinimmo vni, me-

A 2

tallico-

auf Bley. Erlang. 1779. 8. F. A. CARTHEUSER von der Verfälschung der Weine. Gießen, 1779. 8.) CRELIN (Anmerk. zu Zellers Streitschrift in ALBR. v. HALLERS Sammlung academischer Streitschriften, B. III. Helmst. 1780. 8. S. 262, ff. GEHLERI (pr. de dubia vini adult. per liqu. prob. docimaf. Lipſ. 1783. 4. et de docimaf. vin. ferrif. ibid. 1784. 4.) et aliorum, qui horum modo monitis vsi sunt.



talicorum corporum; quae vini puritatē inquinarē possunt, solutio adscribenda est. Quum vero acidum vegetable, vnum illud quidem, <sup>b)</sup> pro varia principii inflammabilis immixti subtractive quantitate, forma perquam diuersa occurrere soleat, ditissimumque phlogisti in tartareo, pauperius paullulum in pomaceo, <sup>c)</sup> cuiusmodi etiam citri <sup>d)</sup> illud est, multo deinde pauperius in facchari isto, <sup>e)</sup> quocum acetofellae natuum <sup>f)</sup> conuenit, pauperrimum denique, quamvis de reliquo, vt veri perquam simile videtur, igneis particulis vnitum in acetoso <sup>g)</sup> puro reperiatur: cuius formae vini acidum sit, ante omnia merito videtur esse definiendum. Docet autem usus et obseruatio, vini, quale album est, perfecta fermentatione elaborati et integerrimi, acorem crudioris esse naturae crassiorisque multoque onussum oleoso inflammabili, siue, vt uno verbo eloquāmur, tartareum. Secedit enim ex vino tali, per diu-

turniorem

<sup>b)</sup> v. HERMBSTÄDT in CRELL. Neu. Ent. in d. Chem. Th. VII. S. 76. ff.  
Eiusdemque phys. chem. Verl. u. Beob. B. I. Berl. 1786. S. 197. ff.

<sup>c)</sup> Id primo descripsit SCHEELIUS (v. CRELLS chem. Annal. 1785. B. II. S. 291. 303); intermedium vero inter tartareum et acetolum, aut si manus faccharinum esse, enidenter docuit CL. HERMBSTÄDT (phys. und chem. Verl. und Beob. B. I. S. 304 ff.)

<sup>d)</sup> v. HERMBSTÄDT l. c. S. 309.

<sup>e)</sup> Primum invento a SCHEELIO, vt iam certa fide constat (v. ELWERT Magazin für Chem. und Apoth. St. I. 1785. S. 54. sed accuratius investigato a BERGMANNO (Op. ph. & ch. V. I. p. 251 ff.) quod tamen tartareum modificatum esse egregie declararunt CL. HERMBSTÄDT (l. c. Abh. I. u. 2. et in CRELLOS N. Ent. Th. VII. S. 76) atque WESTRUMB (klein. ph. u. ch. Abh. Heft I. 1785. S. 66.

<sup>f)</sup> v. Scheele in CRELLO Chem. Ann. 1785. B. I. S. 113. WESTRUMB in CRELLO N. Ent. Th. X. S. 85. Chem. Annalen 1784. B. I. S. 335. kleinere physik. chem. Abh. B. I. Heft 2. Leipzig. 1786. 8. S. 228.

<sup>g)</sup> HERMBSTÄDT (ph. chem. Verl. S. 27. 241.

❀ ❀ ❀

turniorem asseruationem, non sine aucta virium nobilitate, ad doliorum latera sub crustae cohaerentis crystallinae specie tar-  
tarus vini, cuius manifesta quoque vestigia vini, moderato ca-  
lore ad magma resiccatum euaporati, crassamentum offert,  
quemque ex acido, quod modo commemoauimus, superab-  
undante et ex salis alcalini vegetabilis fixi, saturando tamen  
acido isti impari portiuncula componi, chemicorum nostrae  
aetatis vix vllus amplius dubitat. Hoc acidum proinde largif-  
fime ineft vino recenti et iuniori; vetustiori contra et annoso  
longe inhaeret parcius. Quum vero vinum, sicuti inter omnes  
satis constat, eiusmodi latex sit, qui nouae mutationis fermenta-  
tionisque, qua in acetum conuertitur et capax reperiatur et  
mirum quantum cupidus; neque vlo modo impediri possit,  
quo minus sub aeris respirabilis eiusdemque tepentis liberiori  
affluxu ea vini portio, quae huic prae reliquis exposita est, fer-  
mentationis istius secundariae initia subeat: euenit omnino  
nonnunquam, vt etiam in vinis, praesertim incautius seruatis  
tractatisque, vegetabilis acor sub acetosi forma, quamuis vtique  
parcius occurrat, qui ceteroquin, sic vti alii acores, phlogisti-  
co principio siue prorsus exuti, siue tenuius amicti in metallis  
integris soluendis superare phlogisto vestitorum efficaciam  
confuerunt, in iisdem corporibus vino vniensis tartareo ita  
praeualere solet, vt neque segnus isto calcium quoque metalli-  
carum inquinamenta vino inferre valent.

### §. III.

Quamuis vero cum vinorum alborum acido hoc ve-  
getabili vtroque metalla omnia, alia scilicet integra, calcifor-  
mia alia potius, quaedam adeo in vtraque forma definitis ar-  
tificiis chemicis vniri queant: nihilo tamen minus omnem

A 3

hanc



hanc vini metalliferi, arte parati, varietatem perquirere nunc  
 certe superfluum iudicamus, vt pote quum animus nobis sit,  
 non quod prudenti demum studio confectum est vinum me-  
 talluehum inuestigare, sed quod vel fraudulentia arte metallo  
 corruptum, vel casu inopinato inquinatum fuerit examinare,  
 neque dicere de quibusuis, quae fieri vnquam possint, sed a-  
 gere modo de quibusdam, quae vulgo obuenire soleant. Sci-  
 licet quid prodesset longius commemorare, platinae, mercu-  
 rii, niccoli, cobalti, magnesii, forte adeo arsenici regulini  
 contagio imbuui vina vix ac ne vix quidem, calcibus vero cor-  
 porum horum metallicorum, via in primis humida, qua per  
 alcalina mitia ex acidis deiiciuntur, paratis suo modo vtique  
 posse? Quid narrare prodesset zincum et antimonii regulum  
 tum in metalli tum in calcis forma vini connubiis patere? vt  
 pote quum certissimo constet vsu, neque in cellis tabernis-  
 que vinariis, neque alibi in vita quotidiana vsquam facile vi-  
 num istorum metallorum consuetudini fieri obnoxium. Num  
 reliquis metallis, quorum contubernio vere vtitur, aditum  
 praebeat, quaeritur consultius. Scilicet hauriuntur nonnun-  
 quam vina poculis vel ex auro argenteoue conflatis, vel crusta  
 alterutrius metalli obductis. Transfunduntur eadem aliquan-  
 do per epistomia sue cuprea sue orichalcea, quae in dolisi  
 remanent, nuda alibi, alibi stanno, vt plurimum plumbifero  
 vestita, in quorum tubis, post transfusionem verticulo suo clau-  
 sis, retentae vini ultimae guttulae in diuturniori metallorum  
 contactu versantur, proximaeque vini subtrahendi portioni li-  
 berte se admiscent. Afferuantur adeo vina hinc inde in do-  
 liis maioribus, quorum tabulas, ligneis circinis ob ingenem  
 laticis concreti vim nequaquam continendas, ferrei, troch-  
 leis intus similibus firmati, maiori fide copulant. Excipiuntur  
 adeo mensuris cupreis, orichalceis, stanneis, quinimmo lage-  
 nis

7

nis in nouos vſus globulorum plumbeorum ope vt cunque ex-  
teris neque prorsus tamen ab eorum detrimentis deinceps re-  
purgatis. Petuntur haud raro ex tabernis vinariis, praesertim  
ab iis, qui in vſus eucharistiae sacrae inter ruricolas celebran-  
dae coemendi vini curam habent, perferunturque longinquo  
ſaepē itinere rus, tūtoris deportationis cauſa in lagenis stan-  
neis, ad quas conficiendas ſic vti ad omnia opera ſua non stan-  
num purissimum ſed plumbō remixtum fabros ſtannarios re-  
cipere notissimo notius habetur. Eſt quoque, vbi ad oeno-  
polis frequentioris in cellas defensus moleſtiam ſubterfugi-  
entibus et conuiuarum tamen palato frigidiusculo, quod expeti-  
titur poculo blandire ſtudentibus, in diotis ſeu ampullis, ex  
eodem metallo, ſimili miſcela corrupo conflatis, vinum deti-  
neatur ministrandum. Quemadmodum denique iam veteri-  
bus vſitatum erat vini in vitium inclinantis experimentum la-  
minaे plumbea mutatus in eo color<sup>b)</sup>, ita deprehensi quo-  
que ſunt atque etiam in deprehenduntur ex vini infitoribus  
quidam ſive praeter humanitatem lucripetae, ſive citra pru-  
dentiā dannifugae, qui viniſ iunioribus, tenuibus, oligo-  
phoris, et ex immaturarum vuarum muſto paratis, quea veris  
redeuntis teþore in cellis intraque dolia fermentando turbari  
et in vitium inclinare cooperunt, mederi temerario aequa at-  
que perquam pernicioſo auſu ſtudent lithargyrio, id eſt calce  
plumbi ſublamellata, ex flavo vel albida vel ruffa, nitente et  
ex argenti aurique dedoctione, quea cum plumbō intra catil-  
los cinereoſ fit, residua, quacum, vt cum ipſo plumbō, vniuſ  
vini acor ſal dulce generat, quod ſaccharum saturni dicitur,  
quodque vini ſaporem quidem immitem mitificat, vſum vero  
eiusdem adeo infidiosum faluti humanae vitaueque reddit, vt  
non

b) PLINIVS Hift. nat. Lib. XIV. c. 20.



non modo cardialgias, hypochondriorum anxietates, ventris imi inflationes, ructus, obſtipationes, cephalreas, dolores colicos et inguinum dirifffimos, asthma, arthritides, rheumatismos, deliria, conuulsiones, artuumque paralyses inferat, verum etiam lenta tabe homines tandem conficiat. Num itaque praeter hanc infectionem plumbeam, quae sive studio, ut modo diximus, sive casu, v. c. per vasa et epiftomia ex fanno plumbifero vel confiata vel vefita, lagenasue granulis plumbis male purgatas facta fit, aequo horrenda et abominanda est, etiam ex auri, argenti, cupri, ferri, fannii purioris et orichalci contactu vinorum alborum violatur castitas? Ferro et cupro, metallis vel aquae soli patentibus, violari, extra omnem dubitationis aleam positum est. Auro contra et argento purissimo contaminari ista nequit. Quamuis enim calces nobilissimorum horum metallorum salibus lixiuosis et vrinosis excusae vegetabilium connubia non recusent, sub ista tamen forma vinis vulgo nusquam fiunt obvia. Quandocumque vero metalli integri habitu gaudent, vino certe non solui, si curiosius demum probari quis cupiat, experimentis confirmatur admodum facilibus, tum a DELIO,<sup>i)</sup> Viro Illustri, tum a nobis institutis. Scilicet in vino, quod super numis aureis hungaricis, cum paucissimo, ut notum est, argenti puri additamento eudi solitis digestum fuerat, suscepit metallici contagii nulla erui poterant a Viro Illustri documenta. Quumque nos vini albi indigenae vncias quatuor cum serupulo dimidio auri ex solutione ipsius, in aqua regia facta et aqua destillata deinceps probe diluta, per adiectam vitrioli martis purissimi solutionem praecepitati et studiose eloti (quod, quoniam ab omni alijs metalli concretione liberrimum esse constat, facto et easo consulto

i) Eticas zur Revision der Weinprobe S. 29. ff.

9

consulto praetulimus), per horas octo in loco frigidiusculo cum frequenti vasis, caeteroquin obturati, commotione digestissimus, neque vini vel saporem vel colorem ullo modo mutatum deprehendimus, neque in lamina cupri politissima, huic vino per aliquot horas immersa, vlla auri extracti vestigia animaduertere, neque per adminicula alia, deinceps dicenda, quae metallicam labem a vinis suscep tam promte prodere solent, recepti auri vel tantillum offendere potuimus. Quumque simili prorsus modo argenti puri cupellati, ex solutione acido nitrolo per cuprum sub forma metallica deiecti diligentissime que abluti, scrupulum dimidium cum eiusdem vini indigenae, satis, vt facile persuadebimus lectoribus nostris, acidi, vnicis quatuor per horas duodecim, crebra agitatione interiecta, reposuisse mus, vinum ita digestum neque metallici quicquam resipuit, neque iniectam cupri laminam nitentem deargentauit, neque vlla alia ratione infectionis metallicae vestigia prodidit. Quod denique ad stanni puri vim vina inquinandi attinet, quum circa eiusdem solubilitatem inter auctorum sententias et obseruationes egregia diuertia occurrant, \*) de eodem pariter atque de orichalco deinceps per experimenta videbimus, postquam antea in genere examinis vinorum metallici contagii suspectorum subsidia succinctim recensuerimus.

#### §. IV.

Quotiescumque vinis metallici quicquam admixtum occurrat, illud semper iis inest in forma salis, ex acore vini et terra metalli

\*) Solui v. c. affeuerant MARGGRAF (Chym. Schr. Th. II, Berl. 1767. p. 91  
SCHIEMANN Diff. Font. Rippolsauens. hist. et analys. Argent. 1762. p.  
18; negat post NEUMANNVM DELIVS (l. c. S. 31).



metalli plus minusue phlogisto orbata compositi. Quaecunque igitur adminicula chemica metallicis salibus destruendis paria sunt, eadem quoque spem faciunt metallici contagii manifestandi. Destrui vero possunt salia metallica principiorum suorum diuulsione, quam praeципitationem vocant chemici quaque via, ut aiunt, vel humida vel sicca peragitur. Viae humidæ inferiunt eiusmodi corpora, quorum partes aut metallo soluto eum in modum se iungunt, ut acori soluenti eripiatur utque vel sub insolubilis pulueris specie excussum fundum petat, vel sub subtilissimi inquinamenti forma omni mixturae inhaereat, eiusdemque colorem et pelluciditatem perturbet; aut acori soluenti ita quidem vniuntur, ut solutum antea metallum cum mixturae decoloratione vel pollinis adeo cuiusdam delapsu dimittat, aut denique principiis salis metallici tum acidu tum terreo, huic aliae, aliae isti copulantur, ita ut metalli terra antea soluta vel sub integri et splendentis metalli specie, vel in calcis varie coloratae conditione discedat neque supernatanti liquori sua ab immuratione immunitas sit. Ad prioris generis liquores referimus, praeter acidâ potentiora mineralia, et in primis vitriolicum, tincturam gallarum spirituosa non in omni metallica vinorum inquinatione detegenda, sed in definita modo quadam quicquam valere, quodque ad acidâ mineralia attinet, ea haud raro frustra et nisi, quae euenerint, denuo examinentur, non sine fallacia adhiberi, sicuti suo loco vberius indicabimus. Alterius generis liquores salium tum lixiuiosorum, tum vrinosorum solutiones aquosae constituunt, a quibus tamen, nisi in uno alteroue casu ab vrinoso, parum auxilii

auxilii in vinorum metallici contagii suspectorum examine ex-  
pectandum est. Ut enim taceamus, quod lixiuosa salia vino-  
rum, acido tartareo vel sponte turgentium, vel arte impregna-  
torum, colorem perquam obscurum reddant et sedimentum per  
moram excutiant purpureum, vbi vero vini acor adiecta calce  
temperatus, ipsa vero mitia, sive quod idem est, acido aereo  
foeta fuerint, deicere simul soleant puluerem albidiorem, qui  
metallicae naturae prorsus expers nilque, si extractitias vini par-  
tes adhaerentes excipias, nisi terra calcarea acido aereo copulata  
est: solent quoque ex acore vini, sive tartareo, sive acerofo, cum  
alcalinis fixis salibus coniuncto, salia neutra, tartarus nimirum  
tartarisatus, sal SEIGNETTE, terraque foliata tartari, sive deli-  
quescibilis, sive crystallinae figurae capax, enasci, quae met-  
tallicarum in vino examinando vere natantium particularum  
solutionem nouam subinde perficiunt. Tertii denique gene-  
ris corpora, quibus metallica vinorum alborum labes inuesti-  
gari potest, sunt vel metalla quaedam, inquinantibus aliis so-  
lubiliora; veluti ferrum atque zincum; quae cum a vini acore  
terrae metallicae inquinanti iuncto soluantur, phlogisti sui in-  
ter soluendum euoluti partem absorbendam offerunt terrae isti  
metallicae ab acore desertae, eo quidem cum effectu, vt ad  
superficiem metalli praecipitatis vinoque immisso attrahatur  
eidemque sub pigmenti metallici splendentis sive sub lamellae  
adeo metallicae specie, quae naturam suam non amplius dissimulat,  
adhaereat; vel sunt liquores ex alcalino latice et sulphuris  
vel simplicis vel metalliferi connubio enati, quorum ad-  
mixtione ad vinum metalluehum euenit, vt postquam vini  
acor, repudiato, quod soluerat, metallo, alcalino iam nupsit,  
exturbatum sulphur cum excusso metallico vniatur et sublata  
miscelae limpeditate non modo vini colorem obscurset, sed et  
iam praecipitatum alias eiusque obscurioris coloris, quam ex



genuino et purissimo vino deiici solet, ad fundum vasei decidat. Eiusmodi liquores alcalinosulphuratos vario elaboramus artificio. Aut enim sulphuris flores cum pari circiter salis lixiuiosif, siue vegetabilis siue mineralis, in primis caustici, quantitate ex aqua simplici decoquimus mutuoque colliquatos aqua pura dissolumus in tinturam ex flavo rubentem, cui *hepatis sulphuris lixiuiosif s. vulgaris* nomen est; aut cum calcis viuae triplo quadruploque remixtos flores sulphuris solui curamus aqua, quae vel per calcis extinctionem vel per ebullitionem ad ignem incalescit, probaque agitatione et cauta colatione subiuncta, *hepatis sulphuris calcarei* tinturam praebet, quamcum quoque cum calce colliquatum sulphur affusa aqua largitur; aut cum salis ammoniaci duplo calcisque viuae triplo, quinimmo sextuplo, adiecta paucula aqua, destillamus sulphur, quod ab virino principio salis ammoniaci, per calcem liberato, solutum, *Spiritum sulphuris fumantem* BEGUINI seu *hepar sulphuris volatile* fistit. Licit quoque antimonium crudum cum sale lixiuioso conflare in *hepar antimonii*, recipereue congenerem huic hepati scoriam reguli antimonii simplicis, atque alterutrum aquae incoquere, donec liquor post filtrationem probe rufescens obtineatur. Inter omnes vero liquores vinarum alborum, metallici contagii suspectorum docimasticos alcalino sulphuratos visitatissimus atque probatissimus ille est, qui ex auripigmenti, siue arsenici sulphurati natuvi vincia vna calcisque viuae vnicis duabus ea quidem lege paratur, vt vel in vase figulinio per octauam horae partem cum aquae ea quantitate, quae duarum vniarum liquorem caute decantandum relinquat, decoquuntur, vel cum aquae purae vnicis circiter duodecim in vase vitro probe obturato et frequenter concutiendo ad lenem calorem per diem integrum digerantur, latex que post refrigerium spontanea subsidentia depuratus in phiala exacte

exacte clausa, in quam caute effusus est, proximo usui neque multum differendo seruetur. Est hic *liquor* celebratissimus ille vini *probatorius* *Wurtenbergensis* sive *GAUBII* nil aliud, quam aqua dissolutum *hepar sulphuris arsenicati calcareum*, omnibusque reliquis id genus liquoribus propterea merito praeserendus, quoniam non modo in metallicis, quae vinis inesse possunt, particulis, tum vini, tum precipitati obsfuscatione prodendis eadem omnia, quae reliqui praeflat, sed etiam variis aliis commodis sece commendat. Ac primum quidem pallide flauescens illud precipitatum, quod etiam purissima vina ex hoc liquore necessario excutunt, egregie inferuit trahendis suscipiendisque moleculis metallicis vinum inquinantibus, quae nativum eiusdem colorem perturbant faciliusque denigrant inque mole precipitati pollinis grumorumue deictorum copiosiori, quam quae per reliqua sulphuris hepata obtinetur, manifestius obseruandas sece prostituunt. Deinde quum ea sulphuris hepata, quae cum alcalinis salibus conficiuntur, vinorum alborum colorem obscuriores reddant atque suspicionem metallici contagii, in iisdem obuenientis, vanam mouere soleant incautis docimastis: hic liquor, qui ex calce alcalscet, colorem vinorum parum omnino intendit. Denique quum hepata sulphuris cum vulgaribus salibus para-  
ta sal lixiuiosum, acido aereo foetum, contineant, quod cal-  
cem, vinis acidiusculis a nonnullis ad acorem temperandum  
addi solitam, ope istius acidi aerei excutere et sic in ipso pre-  
cipitato mutationem coloris producere posset, ab hac falla-  
cia usus liquoris cum calce viua elaborati omnisque acidi ae-  
rei expertis nos egregie defendit, quamuis qui tale quid per-  
peram timerent, non prorsus defuisse videamus. Tentauimus  
quoque in nostris periculis efficaciam *hepatis sulphuris arse-  
nicati volatilis*, quod digestione Spiritus salis ammoniaci acer-



rini per calcem parati cum tertia parte auripigmenti contusi, frigida, per aliquot dies protracta et frequenti valis commotione confeceramus, itemque *spiritus auripigmenti volatilis*, quem produxeramus, mutua auripigmenti, salis ammoniaci et calcis viuae destillatione. Ast quum Spiritus hic prae sulphuris isto volatili BEGVINI et hepar istud volatile prae visitato liquore probatorio nihil prorsus singulare praestitisse, immo utroque utrumque paullo insuper inertius operatum esse obseruauerimus, neutrum possumus magnopere commendare. Idem nobis accedit in *Sale arsenicali neutrō vegetabili*, quod quum in diuellendis metallorum acidorumque amplexibus mutuis satis efficacem sponderent experimenta MACQVERI<sup>1)</sup> istius salis inuentoris, aqua solutum vinis de industria metallico miasmate pollutis, eo vero cum euentu, admiscuimus, ut quamvis non omni virtute carere videretur, non satis tamen manifesta efficaciae sua documenta exfereret. Longe vero certius vini metalliuehi indagandi instrumentum nobis occurrit in sic dicto *Sale alcalino phlogisticato*, quod quacunque demum ratione confectum sit, aequa efficax reperitur fidumque, modo ab inquinantibus particulis martialibus satis depuratum fuerit. Nolumus iam hic omnem eius parandi varietatem commemorare, sed in ea tantum præparatione indicanda subsistere liceat, quae nobis maxime semper commoda visa fuit. Decoquimus nimirum pigmenti caerulei Berolinensis vncias duas cum semisse salisque caustici alcalini vegetabilis vnciam vnam in vase figulino ex aquae purissimae libra vna, donec pigmentum obnigruerit. Quo factō liquorem decantatum, per chartam albam filtratum patinaque porcellana exceptum euaporamus ad dimidias. Sic inspissato instillamus aceti

D) Chem. Wörterb. Th. IV. S. 457. ff.

aceti ex vase vitro destillati guttulas, donec caerulei rubriue  
 nihil quicquam amplius excutitur; iamque ad cuticulam, vt  
 dicunt euaporatum reponimus in loco frido, vt in crystallos  
 concrescat flauicantes, quarum aquae triplo facta solutio liquo-  
 rem desideratum sifit, in vase bene quidem clauso feruandum,  
 sed in vasis tamen proximos nec multum procrastinando du-  
 cendum, siquidem facile situ grumisque corrumpatur. In hoc  
 egregio liquore, lixiuio sanguinis congenere, omnium omnino,  
 si platinæ istam excipias, solutionum metallicarum acidarum  
 defruendarum adminiculum habere chemicos, satis abunde  
 constat, estque, vt deinceps commemorabitur, in omni vino-  
 rum, metallici contagii suspectorum, examine propterea maxi-  
 me adhibendus, quum principium illud, quod continet, aci-  
 do - phlogisticum, metallorum inquinantium calcibus, acido  
 soluenti per alcali ereptis, colorem afficeret, qui metallum  
 ipsum antea solutum quolibet evidentissimo indicio prodit.  
 Quae haec tenus diximus docimasiae vinorum metalliferorum  
 adminicula viae humidae inseruiunt atque plerumque omnem  
 examinis paginam absoluunt, adeo vt operosa, sumtuosa,  
 nec nisi in magna vini disquirendi mole, quae non semper sup-  
 petit, locum habente indagatione, quae via sicca peragitur, sae-  
 piissime supersedere liceat. In definiti tamen metalli praesentia  
 eruenda et extra omnem dubitationis aleam ponenda haec  
 quoque admitti potest. Instituitur vero, pro varia vini disqui-  
 rendi concessa copia, varia omnino methodo. Quodsi enim  
 adeo magna vini vis praefeo est, vt quatuor mensuras indige-  
 nas aequet, omnis ista vini portio ad ignem euaporetur resic-  
 catumque, quod restat, crassamentum sive per se, sive cum  
 fluxus nigri modico additamento in crucibulo tecto catilloue  
 probatorio igni fusorio committatur, atque operatione post ho-  
 ram, pro metalli, quod inesse suspicamur, indole, vel inte-  
 gram,



gram, vel dimidiā finita, num vel vasis fundo materiaeue contentae globuli quidam metallici, phlogisticis exsiccati magmatis vinosi vel fluxus additi particulis reducti, vel parietibus calcis, in fumum versae, pigmentum quoddam notabile inhaereat, sedulo disquiratur. Quodsi vero exigua modo vini suspecti quantitas suppetit et tamen via secca instituendum sit examen, optimum factū videtur, diligenter colligere pulueres istos, vario humidorum praecipitantium genere excusso, eosdemque vel in carbone excauato ad tubum ferraminatorium simili modo aut cum sale microcosmico, vel in vasis sublimatoris nonnunquam cum salis ammoniaci additamento, quantum fieri potest, explorare.

### §. V.

Sic satis iam in vniuersum, quemadmodum arbitramur, metallicarum molecularum, quae vinorum albortū putritatem contaminant, detegendarum adminicula expendimus. Nunc vero demum opus est, ut qua prudentia iisdem vti deceat, quibusque potissimum metallicis contagis explorandis singula in specie conueniant, diligenter perquiramus. Enarrabimus hunc in finem experimenta praccipua, quae eorum ministerio cepimus, primo quidem, certioris doctrinae caussa, in vino simplicissimo et ab omni metallica concretione immuni, deinde vero in vino de industria super variorum istorum metallorum scobe digesto, quorum consortio vina alba vulgo obnoxia fieri, superius indicauimus. Repleuimus nimirum ante omnia cyathos vitreos, capacitatis trium vnciarum, vino albo indigena castissimo inque cyatho quolibet alias praecipientis efficaciam tentauimus. Acoris vitriolici guttulae tringinta primo cyatho instillatae nullam plane vino intulerunt coloris

toris et consistentiae mutationem. Tincturae gallarum spirituosa guttulae totidem, alteri cyatho admistae, colore vini leuissimo tantum modo intenderunt. Nihil tamen ex ista miscela, ne post horarum quatuor et viginti quidem digestionem, subsidere visum est. A spiritu salis ammoniaci acris drachma vna, cum tertii cyathi vino temperata, miscela enata est, ab initio ex rufescente subturbida; quumque ad eandem explorandam post diem integrum rediremus, sedimento obsoleto purpureo laticem ex flauo rufescensem innatare vidimus. Ex quarti cyathi vino adfusae tincturae hepatis calcarei guttulae triginta mox detubarunt puluerem albidissimum, lacti, quod vocant, sulphuris simillimum, neque adeo postridie liquor supernatans limpitudinem suam recuperauerat. Quinto cyatho contentum vinum guttularum solutionis salis arsenicalis vegetabilis MACQVERI, quadraginta aquae purissimae partibus paratae, eundem numerum colore limpitudineque superfluite tulit. Aeque placidum fuit vini, in sexto cyatho commorantis, cum lixiuio phlogisticato, pari copia allato, connubium. Septimi cyathi hospes quod erat vinum exceptas liquoris probatorii vulgaris, digestu parati, guttulas ita mox disturbauit, ut, saluo suo ipsius colore, sub pallide flauicantium flocculorum forma, auripigmentum purissimum deiceret. Vinum denique, octauo et noni cyathi incola politissimi, bacilli ferrei, frustulique zinci ex limatu nitidissimi colore nullo plane modo affecerant. Eadem omnia euenerunt iisdem docimasiae adminiculis adhibitis in vino, cuius acorem mitigaueramus paullulum digestione super calce viua, praeterquam quod purpureus polinis, per spiritum alcalinum causticum excussi, color subcinereo temperatus esse videretur, quodque acor vitrioli album exciret puluerem, cuius, ceu selenitae, soluendi spiritus salis vesci acidus nullam habebat potestatem.

## C

## §. VI.



## §. VI.

Examinato hunc in modum vino et puro, et calce condito, ad eiusdem super variorum metallorum scobe in loco frigido intraque phialas, obturaculo chartaceo leuiter coniectas, per integrum nychthemerum digesti vini explorationem ita quidem nos conuertimus, vt eadem vini eorundemque praeципitantium quantitate vteremur ubique, inque annotandis experimentorum euentibus non modo ad proximos et maxime subitos sed etiam ad eos attenderemus, quae miscellarum digestione demum plurimarum horarum mora interiecta prodirent Quinimmo etiam in parciori quantitate vinorum, studio inquisitorum, experimenta nostra pari plerumque euentu repetimus.

Ac primum quidem inquisuimus in vinum ferro infectum, cuius sapor cum austerritate subadstringebat. Hoc ab acore vitrioli meraco nullo modo proditum est. Tinctura gallarum spirituosa, salua limpiditate, colorem eiusdem cum virore exiguo leuiter obfuscavit primo; deinde vero reposita miscela nigritie caerulecente turbata fuit, quam admistae aliquot acoris nitrosi itemque muriatici guttulae mox sustulerunt; salis vero tartari, aqua soluti, stilla aeque cito restituit. Spiritus vinosus causticus mox ex vino ferrifero expulit puluerem flocculentum ex nigro purpureum, supernatante deinceps liquore rufescente. Solutio salis arsenicalis aquosa post digestionis moram obtulit praecipitatum ex gryseo albidum sub latice, qui multo factus erat, quam vinum adhibitum, pallidior. Hepatis calcarei tinctura confestim deiectum est sulphur, ex nigro gryseum. Cum lixiuio phlogisticato primo viridem, moxque caeruleum colorem contraxit vinum ferriferum, dein vero, quum istius paullo sensim plus admisceretur, exemplo pigmentum istud caeruleum Borussicum depositus. Ab in-

stillato

stillato denique liquore probatorio consueto obscure coeruleum, quinimmo ex coeruleo nigrum colorem vinum ea quidem ratione contraxit, ut a primis guttulis subuiridisceret, dein vero caeruleceret, tandemque denigraretur. Sedimento egregie nigro post solitam digestionem innatauit latex limpidus flauus.

Vinum, cupreo contagio imbutum, subaeruginosus quicquam resipuit. Ab acore vitriolico et tinctura gallarum spirituosa non aliter affectum fuit, quam vinum purum. Cum spiritu alcalino caustico ea proportione contemperatum, ut miscela, in vase aperto seruata, etiam postridie vrinosum odo rem spargeret, sedimentum praebuit, sub latice viridescente fuluum, aut ex gryseo etiam fuscum. Caerulei coloris vestigia nulla obuenerunt, quae tamen omnino cum viridescentia copulata apparuerunt spiritu salis ammoniaci miti ad experiendum adhibito. Salis medii arsenicalis solutio, vino cuprisero immixta, coloris vigori laticisque limpitudati nihil detraxit; ad vase tamen fundum receperat sese sedimentum parcum ex flauo gryseum. Tinctura hepatis calcarei aquosa praecipitamentum extricauit ex albo castaneum. Lixiuum phlogisticatum vero spadiceum excusfit. Liquore vini probatorio vinum ita perturbatum est, ut hepatici coloris feculas deponeret. Ferreæ denique acus et zincæ frustuli, lima politi, superficiem cupri sub metallica forma per moram plurium horarum excusfi nitidissima obduxit pellicula.

Pari fere euentu inquisiuimus in vinum, quod super ramentis orichalci per diem integrum restiterat; nisi quod feculae, per liquorem probatorium vulgarem deiectae, magis rufescere et per lixiuum phlogisticatum prolectae e viridi magis flauescere, per hepar sulphuris calcareum vero productae

C 2

ex



ex gryseo albescere et in fundo vasis, quod ferreum bacillum, cupro, e vino restituto, fucatum continebat, parcissimi pollinis albidi quicquam collectum esse conspicaremur; quale quid zinco immerso, proutocari non poterat.

Ex vino, per lithargyrium corrupto, quod vtique subdulcius erat, quam purum, acor vitrioli meracus mox deiecit puluerem album, quem affusus salis vesici acor breui omnem soluebat denuo, quique huic per alcali vegetabile eruptus et post exsiccationem cum pauxillo fluxus nigri contemperatus inque crucibulo perparuo probeque tecto fusus, praeter pigmentum flauicans, quod parietibus crucibuli adhaeserat, exiguos aliquot globulos metallicos reddidit, qui ex caeruleo albescerent. A tinctura gallarum spirituosa leuissime modo vinum lithargyrifatum perturbari vistum est absque notabili sedimento. Per alcali volatile causticum exturbatae sunt feculae ex flavo fuscescentes. Per sal arsenici medium ab initio nihil mutari in vino plumbifero vistum est; quum vero nycthemero praeterlapso ad vtriusque miscelam digestam rediremus, sub limpidissimo aqueae claritatis liquore albidi quicquam haerere obseruauimus. Ab hepati sulphuris calcareo itemque a liquore probatorio vulgari admixto vinum plumbiferum mox ita turbatum est, vt ex fusco ruffesceret et feculas ex rubro vel fuluo nigricantes deponeret. In alio experimento diutius super plumbo digestum vinum cum liquore eodem probatorio remixtum viridescentem concepit colorem feculasque dimisit obscure virides. Per lixiuum phlogisticatum breui expulsum est plumbum sub sedimenti albi specie. Ferri denique zincique immersa frustula polita obnigruerunt.

Cum vino porro, quod super stanni Saxonici, in officinis Iohannegeorgenstadtienibus excoeli, limatura per diem integrum

tegrum digestum fuerat, acores minerales absque vlla perturbatione coierunt, gallarum tinctura spirituosa mixturam caerulecentem et subturbidam, lixiuum phlogisticatum dilute viridem et limpidissimam exhibuit. Idemque vinum, pellucitatem coloreque retentis, tulit salis arsenicalis neutrius admixtionem, vt tamē parciissimum sedimentum album postridie depositum offerret. Ab alcalino spiritu acri obfuscatum est ita, vt nigricantes feculas dimitteret. Cum hepate sulphuris calcareo praecipitamentum ex flavo albicans dedit. A liquore probatorio vulgari nihil alieni ex eodem deturbatum est; vinum tamē sedimento flavo supernatans profundius coloratum erat. Ferri et zinci polita frustula nihil prorsus mutata sunt. Sapor tamē huius vini subauferus erat et adstringens; continuataque per aliquot dies digestione super flanni eandem limaturam eo vsque euectus est, vt vini sic tractati degustatio manifesta eiusdem sensus vestigia in lingua relinqueret, quem flannum purum dentibus commorsum et ore retentum excitare solet. Caeterum a liquoribus docimasticis nihil ultra priora extorqueri potuit ex vino, diutius in flanni contubernio versato, nisi a vulgari isto praecipitamentum obscurius viridescens.

In vino denique, quod super scobe flanni plumbiferi per integrum diem in loco frigido seruatum fuerat, eadem prouocata sunt phaenomena periculis nostris, quae vinum lithargyrio corruptum dederat, praeter quam quod sedimentum lixiuiu phlogisticato extricatum non ita album esset, sed in caeruleo gryseum colorem vergeret.

## §. VII.

Quodsi iam simplicissima haec institutaque facillima experimenta rite perpendimus, facillimum esse iudicamus docimasiae vinorum, metallici contagii suspectorum peragendae methodum talem inuenire, quae omnem eludat fallaciam. Ante omnia nimur aut hepatis sulphuris calcarei aut liquoris probatorii vulgaris ope vini exploranda est integritas, ut pote quam ex isto excussum lac sulphuris albissimum, ex hoc auripigmentum pallide flauum eieclum, cum innataente latice, cuius color non obsfuscatus est, egregie testificabuntur. Hinc vniuersi vini examinandi tribus aut quatuor instillentur alterius liquoris guttulae circiter viginti aut triginta, siue hinc eiusdem colorem obscurari et sedimenta adeo alieno pigmento imbuta inuenierimus, de metallo inhaerente non amplius dubitandum est. Id ipsum vix ac ne vix quidem aliud erit, quam vel ferrum, vel cuprum, vel plumbum. Quum enim in stanno purissimo soluendo vinum album non quidem prorsus iners, sed valde tamen pigrum et lentum esse obseruauerimus et per experimenta supra laudata euinci censeamus, ferrum, quod purissimo officinarum nostratium stanno immixtum est plumbumque, quod vulgari stanniorum operi cui libet contemperatur, longe citius, quam ipsum stannum vino inferri, ceteroquin vero intra vasā stannea vinum vix per aliquot dies vllibi seruari soleat: omnis omnino metallica vini infectio vel a ferro, vel a cupro, cui ista ex orichalco consimilima est, vel a plumbo potius, quam aliunde nasci existimanda est. Ut proinde quali ex his metallis vinum fuerit inquinatum, euidenter cognoscatur, in solo miscelae et sedimenti colore attendendo nequaquam acquiescendum est, quamuis ista vtique non prorsus negligenda sint. Sicubi igitur ex affuso liquore

liquore probatorio vinum ex caeruleo nigrescere viderimus atque adeo inquinamenti ferrei suspicio nata sit, eiusdem vera praesentia eruatur tinctura gallarum atque lixiuio phlogisticato, vtpote quorum in ferro detegendo efficacia etiam tum inoffensa superest, si praeter ferrum cupri, plumbi stanniae quicquam iniunctum vino foret. Sicuti vero circa lixiuum phlogisticatum cauenda est omnis experi-menti fallacia iusta quam narrauimus et recenti praepara-tione, ita tincturae gallarum cum parcus ferrifero vino conflictanti aliqua reactionis remora haudquaquam inui-denda est.

Quodsi vero vinum cum liquore probatorio vulgari siue ex ruffo fuscescat siue viridescat, atque adeo contagii vel plumbei vel cuprei siue, quod idem est, ex orichaleo concepti, reum esse vinum videatur, per bacilos ferreos nitidissimos fragmentaue zinci polita, quibus immersionis remora per diem integrum protracta conceditur, cuprum forte inhaerens optime euocabitur, ita vt ab omni alio experimento abstinere liceat; quandoquidem ne tunc qui-dem, quando cuprum in aliorum metallorum consortio intra vinum versatur, sub rubrae pelliculae metallicae forma ad horum metallorum superficiem applicare sese recuset. Sin vero alio insuper experimento cupri praesentia confir-manda sit, lixiuii phlogisticati satis depurati opera vtamur, vtpote quo secretae feculae etiam tum, quamuis pallidius, rubrae sunt, si cupri plumbique contubernio communi vi-num corruptum fuerit.

Ad plumbeas vero moleculas e vino separandas, quamuis, si quidem solae illud inquinant, omnino sufficiat lixiuum



lixium phlogistophorum, quo sub albidi sedimenti specie expelluntur, longe tamen melius et sub omni omnino conditione facit acor vitrioli meracus, quippe qui, omni alio metallo intacto relicto, plumbum solum arripit et cum eodem vitriolum saturni efformat, quod sub albi sedimenti specie citissime segregatur. Ne vero experimenti huius euentus in fallaciae suspicionem adduci possit, calumniae euitandae causa opus est, vt, effuso latice innatante, pulueri isti albo affundatur spiritus salis culinaris acidus, ut pote quo vitriolum saturni intra breve temporis spatium soluitur, calcarea vero terra, quae eripi vino, cui, forte admixta est, per lixiuum phlogisticatum nequaquam, per acidum vero vitrioli utique potest, eiusdem acoris unione in gypsum mutata solui a spiritu salis acido nullo modo valet.

### §. VIII.

Ex hactenus disputatis evidenter apparere arbitramur, docimasiam vinorum alborum, contagio metallico imbutorum non adeo inuincibilibus circumseptam esse difficultatibus; quinimmo sufficere posse eruendo vitio isti solam istam, quae via humida peragitur, cui tamen, si velis, omnino iungi ea possit, quae via sicca fit, ad illud quidem compendium redacta, ut multarum vini librarum crassamento, evaporatione obtento, praeferratur sedimentum, quod praecipitantibus liquoribus secretum est. Sic utique licet excoquere plunibun ex isto, quod acidum vitrioli excusfit, siue ad eam methodum tractes, quam superius indicauimus, siue mox cum pauco fluxus nigri additamento remixtum fundas. Licet quoque ex isto, quod vinum cum

eum gallarum tintura ex caeruleo nigrescens atque adeo ferriferum relinquit, bene ad ignem reficcato, aut per magnetem admotum ferreas particulas extrahere, aut per sal ammoniacum, quo cum in vasis clausis vstulatur, flores flauicantes, saporis atramentiti obtinere. Licet denique ex colore caeruleo et viridi, quo superbit flamma ardantis corporis, cui inspersus est puluis rufus, ex cuprifero vino per lixiuum phlogisticatum deiectus, cuprum agnoscere. Possemus adeo insuper complura alia experimenta commemorare, quae vel ipsi instituimus vel non sine boni successus spe institui posse credimus. At enim vero, quum quae recensuimus vino ex metallis fucato prodendo ex aspera reperiantur, atque sic fidem, quondam, quum mangonii vinorum cautius examinandi mentionem alicubi nimis curtam fecisse nonnullis videremur, publice datam, satis liberauerimus: curis his nostris docimasiae vinorum alborum, metallici contagii suspectorum repetitis et nouis finem nos iam imponere posse, ingenue confidimus.





**CHRISTOPHORO HENRICO DANZ**  
 VIRO CLARISSIMO  
 MEDICINAE CANDIDATO SPECTATISSIMO  
 S. P. D.  
**P R A E S E S**

**Q**ui communi nostrum labore, vt suminorum in arte salutari hominum fieri possis, CANDIDATE DIGNISSIME, particeps, defendendus est, libellus, sicuti docimatis vinorum metalliferorum curas repetitas atque nouas continet: ita Te semper admoneat, velim, examinis rerum quarumuis medicarum curis nunquam non repetitis et nouis opus esse cuilibet, qui velit esse medicus idoneus atque probabilis. Ut talis euaderes, curalti quidem, quantum in Te fuit, per illud tempus, quod inter nos versatus es, seculo. Ut vero talis sis maneasque semper, curato etiam in posterum. Non desuerunt TIBI in artis studio curarum TVARVM lenitima egregia, benigna numinis diuini prouidentia, eximia patronorum liberalitas, erudita doctorum TVORVM opera et cui inprimis innumera debes, CHRISTIANI AVGUSTI LANGGVTHII, Viri Excellentissimi usus et consuetudo saluberrima. Ita neque desit TIBI in artis exercitio vñquam curarum TVARVM lenimen ullum, quo indiges. Esto inter bona, quorum ex omni genere TIBI quam plurima ex animo appreco, fauor et amicitia omnium bonorum, inter quos versaberis. At dum nouorum amicorum numerum quotidie gaudebis augeri: veterum quoque amicorum, interque hos et mei, memoriam subinde, peto, repeatas. Ita vale et vtere nouis TVis honoribus, quos multo cum voluptatis sensu TIBI gratulor, in TVA maxima commoda. Scribebam Vitebergae, Dom. Oculi A. clo 15cc LXXXVII.




Wittenberg, Diss., 1786-88

ULB Halle  
004 335 899


3



f  
sl,



B.I.G.



VINORVM ALBORVM  
METALLICI CONTAGII SVSPECTORVM  
DOCIMASIAE  
CVRAE REPETITAE ET NOVAE

DISSE<sup>T</sup>AT<sup>O</sup> IN AVGVRALIS MEDICA

QVAM  
GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS  
CONSENSV

P R A E S I D E  
IOHANNE GOTTFRIED  
LEONHARDI

AA. LL. M. PHILOS. ET MED. DOCT. PATHOL. ET CHIRVR.  
P. P. O. SOC. OECON. LIPS. SODAL.

PRO  
G R A D V D O C T O R R S

D E F E N D E T  
CHRISTOPHORVS HENRICVS DANZ

SCHWARZBURGO - THVRINGVS  
M E D I C I N A E C A N D I D A T V S .

VITEBERGAE AD XV. M. MARTII A. C<sup>1</sup>CCCLXXXVII.

EXCVDIT ADAMVS CHRISTIANVS CHARISIVS.